

queritur Christ⁹ de corporis sui infirmitate his verbis: *Sicut umbra cum declinat ablatum sum: & excussus sum sicut locusta. Genua mea infirmata sunt à jejunio: & caro mea immutata est propter maciem.* Quibus verbis Dominus ostendit esse nos in hoc mundo umbras fugaces & mortuas. Quod si ipse cum sit ipsa lux & vita non dubitat tamen se umbram appellare (id quod tantum de statu exinanitionis debet intelligi) quanto justius est ut nosmet umbræ & merum nihil nobis videamur, & humilitatem à Filio Dei discamus? Locustæ autem se comparat, quia ut illa domum non habet, & timida vagaq; est: ita ipse in hoc mundo fuit, ut ab illius exemplo qui excussus fuit sicut locusta, discamus hic vivere velut advenæ, nec habere manentem civitatem, sed aliam patriam inquirere. Quod deinde addit genua sua infirmata & carnem emaciatam esse, id verissimè dici Passio ostendit, in qua exaruit omnis virtus illius quasi testa. Atq; hæc ægris nobis in mentem veniant oportet, quorum corpori si omne robur decedit, feramus id facile, dummodo anima nostra cœlestibus consolationibus erigatur, & dele-

Disce
tuam
vilitatē.

Cur Chri-
stus se
compa-
ret locu-
sta: